

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italianam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

*Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem*

**ROMAM, Piazza del Gesù, 48**

**Praemia sociis constituta:**

**Ex subnotatoribus quisque**

sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam  
m.  $0,25 \times 0,45$  Pontificiam dominationis  
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, *ad libitum*  
sibi habebit.

**Qui socios novos comparaverit duos**

— pretiumque eorum subnotationis  
miserit, subnotatione sibi gra-  
tuita omnino fruetur.

**Qui socios novos comparaverit tres**

— bibliopolis exceptis — ma-  
gnificam tabulam dono accipiet  
m.  $0,63 \times 0,85$  in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-  
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem  
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito  
apud omnes celebratam.

**Qui triginta socios novos comparaverit**

ante Iulium mensem — bi-  
bliopolis pariter exceptis —  
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,  
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui sexaginta socios novos comparaverit**

uti supra, eodem itinere  
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCVIII Num. VIII.

**VOX VRBIS**

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

**Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem**

*Commentarii VOX URBIS* possessorem et administratorem

**ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA**



**Subnotatio fieri potest:**

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna,"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1099, Rue Notre-Dame,

## MAGNI MOMENTI MONITUM



Pontifica officina Candelarum ad Sacra  
vapore acta

### CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

CORSO VITTORIO EMANUELE, 127-129 — VIA SEDIARI, 1-2-3  
INNUNERORUM EORUMQUE ILLISTRUM CLIENTUM SUORUM ANIMADVERSIONEM  
REPETIT IN *faculas ad noctem* ATQUE AD COLLUS-  
STRANDUM, QUAS IURE PROPRIETATIS SIBI PROTEXIT.  
In his

**Lux — Salubritas — Parsimonia**  
**Mundities — Diuturnitas — Commodum.**

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino dif-  
ferunt tum ex Italicas tum ex exteris officinis; perfecte com-  
buruntur; tempus maximum durant.

**Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio  
in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.**

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati venumdantur.

Candela ex cera ad sacra — Candela exquisitis ornamenti decora.

Officina condita est anno MDCCCIII



Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen  
(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro,  
recens omnino instauratum — Tercenta cubicula et  
magnae aulae — Calefactio — Balnea — Electrica lux  
ubique — Machinae duo ad ascendendum — Hiemale  
viridarium — Ludi trudiculares — Aulae mulieribus  
reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcrarum artium specimen, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii  
in an. MDCCCCVIII  
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCVIII.

Num. VIII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

### Ex Polonia.

Utrum Christiana religio ab antiquorum populorum ritibus manaverit.

De re litteraria apud Subalpinos. — De Historia: Antonius Manno. Coemeteriorum christianorum origo.

Paroemiae sive Adagia: Bos lassus fortius figit pedem.

Ad Sontium.

Groverius Cleveland.

Colloquia latina. — Aestivae vacationes.

Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae X constitutio apostolica de Romana Curia.

Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.

Per Orbem.

### Ex Polonia

(Cfr. num. sup.).

Lex iam a Caesare confirmata, nuper autem edita, de qua scribere exorsi sumus, haec est: « Borussi ius potestatemque habent expropriandi initio 70.000 ha Poloni agri in Magno Ducatu Posnaniaensi eiusque Borussiae partis, quae ad occidentem spectat ». Licet iis igitur etiam invit invitis possessoribus Polonorum terram eripere, ubicumque iis idoneum — (quis crederet?) — ac necessarium visum erit... « Excipienda sunt tantummodo coemeteria, templa Domini ac bona ecclesiastica ». Itaque cunctis Polonis periculum imminet amittendi sui agri; necesse est timere illum dubium crastinum diem!

Sed facta est Caesaris voluntas!... Quam autem aegre id ferant Germanorum plurimi, ex eo appetat, quod in « Germania », Berolinensi ephemeride, legimus: « A. d. VI Kal. Febr. 1908 manebit dies miseriae et calamitatis in Borussiae rebus gestis. Possunt nunc singuli Constitutionis, quae dicitur, articuli secure aboleri, quia firmissima legum fundamenta prorsus spreta sunt. Socialistas, qui dicuntur, hodie nus dies ingens quidem afficit laetitia; acerrime enim exspectant tempus, quo expropriantes expropriant... ».

Quinimo Borussi regiminis Victoria Pyrhi passim victoria appellatur, quia reportata est plurimis bonis, ut ita dicam, vehementer adversantibus, contra permultorum voluntatem, qui aut regia ipsa stirpe progeniti, aut nobilissimo nati sunt loco. Iuvat hic Haeseler comitem memorare, temperantiae prudentiaeque illud specimen, qui, universi Germaniae exer-

citus praeses, verus imperii custos, iam hodie senex, illud facinus contemnere publice non dubitavit. Instum quidem contra hostes bellum non perhorruit, sed bellum civile adversus quietos atque inermes cives pati non potuit! Purpuratus autem Pater Koppius, ecclesiae princeps, haec dixit: « Ut in bello eos, quibus sine armis occurrimus, occidere nobis non licet, quod postea arma capere possint, ita et Polonus expropriare non licet per eam causam, quod in posterum imperio periculosi fieri possint ». In eadem reiciendae legis sententia perstabant principes Trachtenberg, Hatzfeld, Raciborski, Hohenlohe, Stolberg aliisque non solum strenui ac sapientes, sed etiam ingenio et iustitia praestantissimi viri, suaque sententia non sunt demoti.

Secundum constitutionem, iure iurando firmatam, omnes cives coram lege aequales esse debent et omnes eiusdem uti tutela sine ullo condicionis sive status, aut gentis discriminé. Videmus autem iniuriam, quae constitutionem violat et multis infertur civibus propterea quod sunt Poloni, quod sunt civium pars minor, quamquam ingentia solvunt tributa neque detrectant militiam. Polonis ius potentibus iam non redditur; ad Polonus iam nonnulli constitutionis articuli non pertinent!

Numne Buelowius, Germaniae cancellarius, qui legem tulit eorum verborum oblitus est: « Videant consules, ne quid res publica detrimenti capiat », et « regnorum fundamentum IUSTITIA »?

Scrib. Cracoviae, mense Iunio MDCCCCVIII.

LAD. LUD. PODOBINSKI.

**Utrum Christiana religio  
ab antiquorum populorum ritibus manaverit**

Mirum est quanto studio religionis catholicae inimici elaboraverint aliam eius invenire originem, quam ipsi fuisse profiteamur. Nullum similitudinis vestigium praetermissum est. Sed sicut vel graminis levem fasciculum comprehendunt, qui praeeruptum montem ascendunt, et avulso gramine delabuntur, ista vestigia inimici nostri consequentur, ut redarguti aut concedant divinum religionis nostrae principium, aut certe istiusmodi ratiunculis explicare eiusdem initium desinant.

Quid enim est illud, unde dicunt profectam esse religionem Christianam? Nunquam somniores ab Indis, vel a Persis, vel a Buddha, vel a Babylonii te Christianum esse instructum, quum semper dixeris a Christo esse e caelo religionem nobis allatam! Nec est, mihi crede, cur mutes sententiam, quod quidam novarum rerum, vel, ut verius dicam, vitiorum impunitatis cupidissimi a ripis veri fluminis aberantes ad falsi fluminis caput pervenerint, collustrati maxime humanae rationis lanterna, non, ut nos, divino sole circumfusi.

Quid, quaeres, quid adduxit homines, ut ex India repant principia Christiana? Est quidam apud Indos in honore deus, quem eodem fere cultu prosequuntur atque nos Christum. Descripsit quidam Gallus istius dei vitam, sed deceptus ab Indo, quo usus erat auctore et magistro, ex impuro fonte hausit fabulas. Nihilominus unus ex diis Indorum, quem Krischna vocant, die natali Christianus propemodum videtur. Devaki mater ulti tenet in stabulo; pater, quem pastorem ferunt fuisse, adstat, nec desunt vaccae, nec stella quaedam illustris. Hunc deum regem habent Brachmani reginamque dei matrem. Videsne, unde nostra devoluta sit religio? Hic est apparatus ille copiosissimus, hoc argumentorum vallum, cur non a Christo, sed a Krischna nostra derivata sit religio. Quasi vero is, qui in America sententiosa verba invenerit eaque scripsiter transtulisse diceretur ab Europaeo, si similia verba post sexcentos annos a rerum scriptore inventirentur. Totamne ergo doctrinam, quam nos amplectimur, ab Indis duximus? Ubi mortis Christi, ubi generis nostri redemptionis, ubi in caelum ascensus, ubi vitae Christi in Krischna similitudo? Solum natalem si excipias, vestigium nullum in eo Christianum videbis. Editur a matre octavus filius, dux habetur malorum, natus a patruo appetitur, a pastoribus fugitivis nutritur, armatus reddit, habet primum septem uxores, deinde sexdecim, postremo millia sexdecim. Quid, quaeso, potest esse diversius? Quam vero leve est dicere a Krischna didicisse Christum, quum pri-

mus istius nuntius ex saeculo tertio decimo post Christum natum existat! Nonne potius dicemus a Christo translatum esse Krischna ad Indos, praesertim quum mater ipsius admodum similis sit beatissimae Virginis imaginibus Byzantinis, paulloque ante illud tempus fuisse constet commercium inter Byzantinos et Indos? Quidquid est, hoc argumentum nullum est: Puer iste similis est isti mulieri, natus ergo ex ea est.



At graviora sunt - inquiunt - in Perside Christianae religionis indicia; a Perside accepimus angelorum, rerum originis, redemptionis, resurrectionis conceptus; haec primum in antiquos libros divinos recepta sunt, tum ad Christians propagata. Quao: Istane est Christiana religio? Si purior est apud Iudeos istarum rerum notio, fucatior et obscurior apud Persas, a Persis Iudei, an ab Iudeis Persae hauserunt? ut purior fit aqua in fonte, limosior in rivo. Quamquam ne hoc quidem pro certo dici potest: est enim verisimilius ex eodem fonte hausisse et Iudeos et Persas, sed Iudeos puriores notiones deduxisse. Quid enim aliud est, cur hi unum Deum colant, isti in plures inciderint?

Ergo manebimus in sententia a Christo esse religionem Christianam, nisi aliquis esse ortam aliunde clarius demonstrat. A Perside enim introductam vel ex India, quod nimis ridiculum est, a nullo homine serio dicitur.



Attamen alii, non Indi, sed Europaei, nostates, incredibili praediti ingenio Buddham investigarunt magistrum fuisse Christi cuiusdam, adeoque sequuntur Buddham et in honore habent, ut ipsum praceptorum vivendi degerint, ne Christi molestissimis subesse debeant institutis. Timendum profecto est, ne nobis quoque rationes, quibus isti viri nituntur, placeant. Quod autem similitudinem principale praedicant argumentum respiciamus. Quid enim simile est? « Christus Buddiae ». Quid enim commune eis est? « Docendi ratio et instituta ». Quae instituta? « Coenobiorum et confessionis ». Buddha peragravit regiones sermonique multis parabolis et verborum translationibus condito hominibus rudioribus propriae indolis vel aliorum fructum proposuit. Christus peragravit regiones et ad sermonem in docendo parabolas adhibuit. Ergo Christus a Buddha docere didicit: ita quidem adversarii nostri concludunt. Quid dicis? Quod fortuito casu similis sit externus agendi modus - abundant parabolis Orientis incolae - doctrinam Christum esse mutuatum a Buddha? Quo id dicis argumento subinxus? Parum enim est dicere: simile est, quum longissime absit a Palestina sedes Buddhae.

Buddha ad mortem, ad nihil ducere conatur cives: Christus totum genus humanum ad vitam aeternam; Buddha Deum nullum habet: Christus a Summo Patre mittitur, ad eum revertitur; Buddha monet, ut vincas malum corporis vel ne id sentias: Christus ut malorum istorum patientia caelestem gloriam compares. Buddha, id quod maxime titillat nostros aequales, mores struxit atheos: Christus ex Deo aptat omnia. Buddha est magister unus ex multis, plures formas se percurrisse meminit: Christus solus est magister e caelo generis humani redemptor egressus; Buddha labore et industria doctrinam sibi compedit: Christus puer eadem loquitur maiestate ac vir; Buddha frequentat palatia principum: Christus tuguria pauperum; Buddha moritur in lecto, suina, sic ferunt, carne: Christus obit in cruce; Buddha secutus est naturam temporum: Christus inaudita in orbem induxit dogmata; Buddha facit animum humanum mortalem: Christus immortalem; Buddha summum malum statuit amare vitam: Christus sumnum bonum dicit bene vivendo quaerere immortalitatem; Buddha hominum vitam destruit: Christus perficit. Quae quum ita sint, nonne verum est, quod unus ex adversariis nostris dixit: Buddham esse Antichristum? Neque tamen taent victi, quasi caeci argumentorum nubi opponunt coenobiorum et confessionis similitudinem. Habet Christiana religio coenobia, commendavit Christus perfectorum hominum seminaria: Buddha discipulos omnes convictores voluit. Praecepit Buddha discipulis ut aperirent peccata, praecepit Christus: hic, ut remittantur, ille, ut pudore perfusi dedicant amare vitam. A Buddha coepit nostra religio? cuius prima fit a Clemente Alexandrino mentio anno post Christum natum ducentesimo?

(Ad proximum numerum).

PHILANDRICUS.

**DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS**

**DE HISTORIA**

(Cfr. num. sup.)

**Antonius Manno.**

Antonius Manno, Iosephi filius, Taurinensis, nobili genere natus, locum inter historicos hand spernendum sibi est adeptus. Verum ut pater de rebus quae ad patriam insulam Sardiniam pertinebant tractare consuevit, sic filius de iis potissimum quae ad Taurinenses, vel ad Augustam Sabaudiae Domum. Hic enim, versatus diu in bibliothecis publicis, priuatis, regalibusque, totus idem in codicibus antiquis

investigandis, illuc omnino spectare videtur, ut quidquid historici tamquam a re sua alienum atque extraeum silentio praeterire putarunt, in unum corpus redigeret, vividioribus luminibus decoraret et ad ultimum perfectionis apicem adferret.

Hinc complura etiam quae optimae notae scriptores vel obiter enarrant vel subobscure, ipse fusus et certis innexus firmisque monumentis, temporis vestitate neglectis, in lucem denuo profert, adnotacionibus perspicuis illustrat, et saepe ad maiorem rerum veritatem argute atque sapienter veluti manu lectores delectando perducit.

Museum quoddam opus eius volumina recte dixeris, affabre quidem expolitum et pretiosissimis lapillis compositum. Omnia enim quae ex huic ingenio profecta sunt, caste dicta invenies ac nobili quadam verborum maiestate exarata, quae viris intelligentis consilii optime semper probantur, manuque lectorum teruntur. Elegans, argutus, castigatus, omnibus idem artis lenociniis exornatus, optimis placet, et se se maxime commendat.

Utinam vero frequentius volumina adeo pretiosa in vulgus ederet in omnium utilitatem, in studiorum incrementum, quae ad historias conscribendas potissimum spectant! Sed ipse iam a multo tempore inter sodales Taurinenses adlectus scientiae finibus profrendis atque inter curatores studiis historiae patriae provehendis, opera sua plerunque inter illius Academiae volumina adfert et rarius omnino ex eiusdem sapientissimis septis in vulgus prodire patitur.

Inter cetera tamen volumina, quae lectorum voluptate passim inveniuntur, haec potissimum recenseri existimo, quaeque in aevum legentur, namque quidquid alii utpote ab instituto alienum de industria omiserunt, in hoc praesertim reperiuntur; apud quem domestica saepe arcana iuvat intueri, quibus temporibus paulo ante elapsis res publica privatis et paucorum consiliis regebatur(1). Nullius enim assentator, omnium vitia et virtutes ingenue narrat, diligentissime notando quae ad cuiusque mores et ingenium declarandum maxime pertinerent.

SUBALPINUS.

(1) Passim leguntur eius scripta in *Volumi della Deputazione di Storia Patria*. — Addit. memorias de obdizione Taurinensi et de Petro Micca, et *Bibliografia storica degli Stati della Monarchia di Savoia — Sopra la Censura in Piemonte*, aliaque complura.

**MONITUM**

Proximus Vox Urbis numerus totus erit de PIO PP. X, quinquagesimo exeunte anno a quo primum sacra litavit.

## COEMETERIORUM CHRISTIANORUM ORIGO

P. Xystus O. C. R., vir de antiquitatis doctrina optime meritus, opus aggressus est singulare quidem et omni laude dignum, Christianam scilicet archaeologiam vulgandi disciplinis theologicis et liturgicis coordinatam; quinimo, dissuadentes despiciens, librum sum latine idiomate scripsit, tum quod eo nesciret aliud universalius, tum quod convenientius vestimentum sacrae vetustati recte putaret. Atque utinam – addit – dies illucscat illa, qua latinus sermo veluti communis multoq[ue] ceteris aptior ad maxima inter rationes et populos negotia tractanda adhibeat!

Huic voto non est dubium quin ex animo assentiamur, dum auctoris commendamus consilium et opus; cuius ut specimen lectoribus praebeamus, non nullas, coemeteriorum Christianorum originem attingentes, paginas libri referimus, quem vix paelo truditum (1) el. scriptor humanissime nobis obtulit.

Iam inde ab Evangelii praedicationis initio, Apostolis curae fuit coemeteria instituere ubi Christianam fundassent communitatem, ut fidelium cadaver loco conveniente conderentur. Tacet de hoc scriptura, sed antiquissima documenta, ubi Christianorum coemeteria urbis Romae recensentur, de quadam coemeterio *ad nymphas S. Petri, ad fontem S. Petri, ad sedem ubi prius sedit S. Petrus* mentionem faciunt quod in Actis Liberii Papae vocatur Ostrianum, ubi Petrus *Apostolus baptizaverat* (2).

In Asia sepulcra Christiana plerumque familiaria fuere, in rupe durissima effossa, neque, saltem saeculo primo, ab Hebraicis sepulcris distincta, quod Romae fieri non potuisse videtur cui a Iudeis modo decretorio secererentur. Petrum autem sepultum dicere in gentilio ethnicoque hypogeo, ut quidam volunt, meram est hypothesis enunciare. Etenim non deerant Christiani *de domo Caesaris* qui apud ipsas Neronianas possessiones et iuxta viam Aureliam sepulcrum haberent. Patet vero non potuisse Christianis commune esse cum ethnicis coemeterium, cum isti in defunctis honorandis ritus completerent Christianis sepulcris prorsus incongruentes, Christianique talibus prosequi defunctos obsequiis deberent, quibus ethnicis adsistere nequirent. Evidens quoque est, modum defunctos sepeliendi fidei de corporum resurrectione congruentem nonnisi in Hebraica sepultura inveniri; quod scilicet cadaver, intactum, in virgine terra, ve-

(1) *Notiones Archaeologicae Christianae disciplinis theologicis et liturgicis coordinatae*. – Vol. I. Pars prior cum tabulis texti insertis. – Roma ex off. Typogr. Forzani et Soc., MCMVIII. (Ven. lib. 4 apud auctorem: *Catacombe di S. Callisto, via Appia antica, 28 – Roma*).

(2) *Acta Liberii et Damasi; Constant., Epist. rom. pont. p. LXXXVI; Append. col. 87; Migne, Patrol. lat. VIII, p. 1888-83; De Rossi, Roma sotterranea, t. I, pp. 133 sqq.; Acta Sanctorum, 16 Ianuar. (Passio Marcelli)*.

luti in lectulo, ubi beatam resurrectionem exspectaret sollicite deponeretur. « Quae resurrectionis fides – ait I. B. De Rossi –, cum esset commune spei vinculum universae Christianae fraternitatis, atque martyrum sepulcra orantes sibi attraherent fideles, fierentque veluti centrum sacrorum conventuum ad divina mysteria celebranda; natura factum est ut et fidelium sepulcra pedetentim circa fidei heroum sepulcra congregarentur. Itaque, licet nulla videatur viguisse lex adagens Christianos ut in communi patrum loco sepulcrum haberent, immo quamvis certum sit, sepulturam in privatis locis et monumentis gentiliciis, dummodo nulla fieret cum ethnicorum sepulcris mixtio, fuisse Christianis permisam, tamen cum communia coemeteria invenimus ab Ecclesia generatim adoptata ab immemorabili, tum vero pleraque videmus privata vel haereditaria sepulcra ampliata atque usui omnis fidelis coetus erogata fuisse et cum maioribus Christianis necropolibus coniuncta » (1).

Verum enim huiusmodi necropolium proprium nomen non est illud, quo vulgo hodie appellant, scilicet *catacombe*; sed coemeterium, ex graeco vocabulo *κατάμηντροι* quod omnibus, ethnicis non esclusis, dormitorium significabat. Fidelis corpus, ut dixi, deponebatur in sepulcro velut in lectulo, nec levitas terrae ei poterat augurari, quippe qui ea minime premeretur, omnesque Christianae epigraphicae formulae in hoc maxime conveniebant, ut *dormitionem, depositionem, somnum pacis*, etc. sepulturam vocarent. Quamobrem etiam conclavia hac illac in coemeteriis effossa, cum aeque ac ceterae cryptarum partes sepulturis deservirint, *cubicula* vel *cubiculi* dicebantur, quamquam hoc ultimum vocabulum pagina quoque sepulcra designabat.

Romae vocabulo *coemeterium* integra cryptarum series inter se communicantium indicabatur; in Graecia vero atque in Graecis epitaphiis Magnae Graeciae etiam unicum sepulcrum hoc titulo saepe appellabatur. Aringhi quamdam evulgavit sarcophagi inscriptionem quae sarcophagum KOIMHTHPION vocabat (2), item in altera inscriptione Narbone inventa simplex sepulcrum hoc insignitur titulo: KYMETERION (3).

In uno ethnico sepulcro dumtaxat, in Africa invento, vocabulum *coemeteria* legitur, indicans varias ac gentilicias tumbas unius hypogei:

COEMETERIA · MEMORIAE · GENTIS · LEPIDITORVM  
L · LEPIDI · NAMPVLI · ET · STENNIAE-POLITAE  
ET · HEREDVM · HEREDVMVE · EORVM · VIVVN · IN  
DIEM · SVVM · ISTANTIVS · FEC. (4)

(1) *Roma sotterranea*, t. I, p. 5.

(2) Ibid. t. I, p. 5.

(3) Cfr. *Corpus inscript. graec. t. IV; Bayet, De titulis Atticae christianis, voc. κατάμηντροι; W. M. RAMSAY, The cities and bishoprics of Phrygia*.

(4) *RENIER, Inscriptions de Algérie*, n. 2031.

Verum quod inscriptio haec sit ethnica ultimo non appareat; praeterea, si Instantius iste idolatra dicendus est, potuit tamen, hoc vocabulo COEMETERIA utens, Christianos imitari. Coemeterii ergo nomen Christianis dumtaxat sepulcris historiae convenit, atque a Christianis hanc novam habuit deceptionem. Catacumbe vero nomen, praeterquam quod solum S. Sebastiani coemeterii saeculo III proprium fuit, minime antea (et post saeculum X tantum omnibus subterraneis Romae coemeteriis designandis conversum est), tot, tamque diversas sortitum est interpretationes apud Christianae vetustatis cultores, ut hodie nihil magis in controversiam veniat. Omnes quidem uno ore primam vocabuli partem praepositionem esse graecam *κατά* affirmant, sed in secunda parte declaranda insigniter discrepant. P. Marchi eam putavit latinam, a *cubando* derivatam, propterea quod vox *cumbo*, cum ei praepositio aliqua praefigatur, ex. gr. *ad, cum, de, iacenti* significacionem sumit. I. B. De Rossi vertit: *ad accubitoria*, proindeque in idem recedit atque eius magister (1). Industriosus est Du-Cange explicatio: « Cum martyrum corpora deferrent Christiani, et rogarerint, ubinam iacerent, respondebant *Cata Cumba*, seu ad cumbas, id est cryptas, vel ad valles aliquot ab Urbe milliariis » (2).

Nihil dicendum puto de lectione *Catacumbas*, quae in Libro pontificali ter occurrit; videlicet in Pontianum, qui falso ab auctore *Epitome Canoniane* dicitur in cimiterio *Catacumbas* sepultus. Deinde in Cornelium: *Hic... corpora apostolorum Petri et Pauli de Catacumbas levavit noctu*; et in Damasum: *Hic fecit basilicas duas, una beato Laurentio iuxta theatrum et alia via Ardiatina, ubi requiescit, et in cataumbas...* (3). Haec lectio hodie ob omnibus reicitur.

Christiania igitur coemeteria non fuerunt Romae inventum quoddam novum sed hypogea ampliata; neque gentilibus deerant coemeteria eiusmodi, quorum unum ad quartum viae Flaminiae milliarium conspectum est a Fabretti, qui in *Inscrip. Domest.* p. 55 haec habet: *Necdum crematione instituta, in topho indigena excavatum sepulcrum..., qualia in nostris christianorum coemeteriis visuntur*.

Quod autem de Roma dicitur, etiam de ceteris Christiani orbis partibus affirmandum est. Insuper, antequam Christiana fides Romae nunciata est, ibi iam pergrandis Iudeorum colonia exstabat coemeteria propria atque a gentilibus sepulcris omnino separata possidens in communi, cum et Iudei aeque

(1) Cfr. I. B. LUOARI, *Le Catacombe ossia il Sepolcro apostolico dell'Appia*, pag. 7-10; et eiusdem S. Sebastiani, pag. 52-54, in nota. Clarissimus hic auctor, Hesychium Graecum grammaticum secutus, putat totum esse graecum vocabulum *Cataumba* ex *κατά κύβος*, quod vertit in *cavu recessu, in cavitate*.

(2) *Gloss.*, t. II, art. *Cataumba et Cumba*.

(3) MommSEN, *Mon. Germ. hist., Gest. pont. Rom.* 25, 4; 29, 5; 83, 8, 11, 22.

P. XYSTUS O. C. R.

(1) *Roma sotterranea*, Opera postuma, lib. II, c. xxx.

(2) *Mon. primitivi*, p. 20, 21.

(3) *Roma sotterranea*, t. I, p. 90.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

*Bos lassus fortius figit pedem.*

S. Hieronymus elegans hoc adagium usurpavit ad S. Aurelium Augustinum scribens eumque deterre cupiens, ne iuvenis senem provocaret. Propterea quod tardius quidem ad pugnam excitantur ii, qui iam sunt aetate quasi festi; verum iidem gravius saeviunt atque urgent, si quando senilis illa virtus irritata recaluit. « Memento — inquit — Daretis et Entelli et vulgaris proverbii, quod bos lassus fortius figat pedem». A veteri tritiae more ductum apparet, quum circumactis a bubus super manipulos plaustris grana excutiebantur partim a rotis in hoc armatis, partim a taurorum ungulis. Potest adlusum videri ad hoc, quod iuvenes corporis agilitate praepollent; senes in stataria pugna ac viribus superiores sunt; id quod Vergilius in Daretis et Entelli congressu declarat. Nec admodum hinc abludit illud, quod in Graecorum collectaneis positum reperitur: « Lente bos » (subaudiendum: movet pedem). Nam sensim quidem movet, at gravius premit.

AD SONTIUM<sup>(1)</sup>

O nobilis stirps prosiliens iugo  
Montis peralti, limpida profluis,  
Munda atque vernans, ni procellae  
Ira tibi vada clara turbat.  
  
Formose fili verticis Alpium,  
Ritu puellae monticolae pedem  
Levans salis cursu loquaci,  
Dum peragras loca saltuosa.  
  
Serenus ipse es non minus aëre  
Perflante rupis celsa cacumina,  
Idem citans undas canoras  
Cantibus occinis Alpicorum.  
  
Quantum iuvat me despicere in sinum  
Tui liquoris, quem viridans nitor  
Splendore caeli mixtus ornat,  
Dulcis et exhilarans imago.  
  
Tuis fluentis caerulea montium  
Virorque fuscus graminis Alpium  
Conspirat et conspectu amoeno  
Lumina detinet intuentis.  
  
De rore caeli caerulei, reor,  
De rore montis, cui viridis color,  
Hunc tu leporem combibisti,  
Egregium decus Alpis almae,  
Vetustum amicum te colo et hospitem:  
Cum per nemus te proripis antraque  
Montana linquis cum sonore,  
Cum strepitu, mihi tum videris  
Legatus esse et nuntius a domo  
Portans salutem, quam tibi reddimus,  
Per plana dum lente vagaris  
Arca rigans fluitante lympha.  
  
Magnum sonas, sed suave et amabile,  
Firmoque nisu laberis impiger,  
Donec per alta ac montuosa  
Tendis iter salebrosum et asprum.  
  
At cum relicis montibus impetu  
Campos apertos desuper insilis,  
Repente cursum quid morari  
Tum tibi laetiamque suetam  
Auferre dicam? Tristitiam prius  
Inusitatam quid subito attulit?  
Cur lassus incedis, quis angor  
Te premit eripiens loquelam?

Utrumne luges, quod tibi montium  
Privo gravatur pectus et intimo  
Desiderat moerore cunas,  
Quae puerum te aluere ab ortu?  
  
An nescio quae te meditatio  
Percellit aevi praeteriti monens  
Patrum Slavorum praefluentem  
Busta situ cooperata longo?  
  
Nimirum utervis te dolor opprimit  
Tristi meantem, languidulo gradu.  
Tum grandis instar, sed venustae  
Te lacrimae videor videre.  
  
O nobilis stirps prosiliens iugo  
Montis peralti, limpida profluis,  
Munda atque vernans, ni procellae  
Ira tibi vada clara turbat.  
  
At proh dolor, te terribilis manet  
Procella surgens, unde venit notus,  
Stratura campos atque prata  
Florida, quae tua lympha nutrit.  
  
Eheu, prope illum prospicio diem:  
Erit supra te caeligenus nitor,  
Utrimeque plumbo grandinabit,  
Sanguineus crepitabit imber.  
  
Atrox duellum cum tonitru furet,  
Tormenta mittent flammea pondera,  
Gliscet per agros fumus ater  
Eliciens lacrimam colono.  
  
Crudo metentur iam gladio sata,  
Te purpurabit copia sanguinis  
Domestici, sed sordidabunt  
Hostica corpora sauciata.  
  
Tunc tu memento, praesidium Alpium,  
Praeclare Sonti, quantum habet alveus,  
Quidquid liquoris fundit aether  
Congereret et sociare in unum.  
  
Claustris refractis, quae retinent aquas,  
Remitte habenas, ne cohube tuos  
Fluctus, sed ultra volve ripam  
Exsuperans fremitu minaci,  
Aestumque totum, quatenus imperas,  
Turram in rapacem verte nec abstine,  
Donec latrones terrae avitae  
Obrueris dederisque leto.

(1) Obiit recens late defletus Simon Gregorcius, sacerdos, inter Slovenos poëta facile princeps. Ut viri clarissimi memoria in hoc etiam bonarum artium commentario quodammodo concelebretur, eius civile carmen, quod Iosephus Fabijan, *Vox Urbis* socius, ad nos misit latine redditum, libenti animo vulgamus.

## GROVERIUS CLEVELAND

Cursus honorum, quibus Groverius Cleveland, nuper vita functus, supremum Foederatarum Septentrionalis Americae Civitatum obtinuit magistratum, singulari quidem atque humili causa ortum duxit.

Origus quidam, magnae officinae ad saccarum ex zea-mays extrahendum possessor ob eamque industriam ditissimus factus, cum eo lites habebat qui eiusdem rei rationem quum invenisset, neque satis sibi remunerationem datam putaret, suum patrocinium Lewisio advocato commiserat. Lewisius tamen tanto expediendo negotio se parem sentire non videbatur, causamque Groverio Cleveland recenti collegae, cuius ingenium et iuvenilem ardorem cognoverat, invicem delegavit. Neque in errorem inductus est; Groverius enim magnum ex Oriente adversario triumphum reportavit; siquidem tribunal inventori vicies centena millia doll. debita iudicavit latumque praemium Lewisio advocato, qui Groverium contra quinque tantum millibus doll. compensavit. Hic vero, liquido certus se unicum victoriam procurasse, longe maiora a Lewisio repetit eique renuenti actionem ultro intulit, atque iterum vitor excessit, ei centum et novaginta doll. millibus a tribunali attributis.

Rem fama vulgavit cum eaque iuvenis advocati nomen et peritiam; unde factum est ut quum in urbe Buffalo loci praefectus (*major* vulgo nuncupatur) esset eligendus, muneri, omnium plausu, ipse fuerit suffictus.

Anno post, Groverius Cleveland Neoboracensis civitatis gubernio praeponebatur, quo in munere popularem gratiam omnem ad se allexit haec praelestum de causa, quod partium studia animosque adversos aptissime reconciliare valuerit. Nil igitur mirum quod sapientis, aequabilis ac temperati administratoris gloria sibi parta, ad supremum magistratum deinde evenheretur, in eoque fuerit iterum confirmatus.

Neque hunc gerens a ratione sua unquam aberravit, ita ut opinio etiam invaluerit, si ille in eo per-

mansisset, futurum fuisse ut bellum Hispanos inter atque Americanos vitaretur.


Mores in eo commodi atque summae humanitatis, quos ipsem qui scribo sum expertus. Anno enim M DCCCLXXXVIII, quum eum in *alba* illa domo Washingtonensi inviserem, eique itinera narrarem expleta

nuper tum per civitates foederatas, tum per Indicas gentes, Alpes quae saxosae appellantur incolentes, tum denique per Californiam, is comiter, iucunde, et quasi admiratione percusus me dicentem audiebat, blandisque hisce verbis gratulabundus conclusit, parvum Americanorum numerum Americam suam per partes ac diligenter heu! visitare, quemadmodum Italus ego fecisse.

Washingtonio urbe capite gloriabatur: memini eum a me petuisse quid de ea sentire, et esse summopere delectatum quum responderim aliquando Lutetiae Parisiorum per vias deambulantem me credere.

Munere gubernii supremo relichto, privatus vixit forensi operae iterum atque unice addictus, eaque etiam de causa nunc lumen cassum Americani lugent, eius laudes ac civilia merita praedicant, maximoque desiderio eius memoriam omnes prosequuntur.

ARISTIDES LEONORI.



Groverius Cleveland.

## COLLOQUIA LATINA

Aestivae vacaciones<sup>(1)</sup>.

PETRUS. — Quum duodecim mensibus volvatur annus, Hilari, et is in quatuor tempora digeratur, — ver, aestatem, autumnum, hyemem —; unumquodque autem trimestri spatio terminetur, non sum animi dubius, quin tu, sicut in gradibus aetatis humanae adolescentiam pueritiae, constanti seu

(1) Ex IACOBO PONTANI S. L. opere cuius titulus: *Progymnasmata Latinitatis*, passim retractavit I. F.

- mediae aetati et senectae preeferas; ita in differentiis temporum aestatem ceteris anteponas, ac proinde aestivis mensibus amplius delectere, quando pacatum nitet diffuso lumine caelum, rami baccarum ubertate incurvescunt, segetes largiuntur fruges, pellucidulis aquis manant fontes, quando suaves daedala tellus submittit flores et ridente aequora ponti.
- HILARIUS. — Esto sane: quorsum tu istuc?
- P. — Quorsum? Nosse velim ex Iunio, Iulio, Augusto mense equis tibi exspectatissimus venire consuevit.
- H. — An etiam in dubitationem habere potes? Idem, Petre, qui tibi.
- P. — Quem ergo mihi amabilem acceptumque procedere autumas?
- H. — Quid credis? Iulum.
- P. — Quibus de causis?
- H. — Quaeris? Vacationum agitari capiuntur sollemnes feriae; licet deambulare et sese dare lusibus. In patriam quoque abeundi potestas ad visendos parentes, fratres, sorores, propinquos et affines; ubi tam blandae salutations, tam benevolia ac festivae congresiones, tam multae vocationes ad honesta et delicata convivia... Quid verbis opus est? Incunditates sexcentae. Ah! laudemus, celebremus maiorum nostrorum prudentiam, qui adolescentum valetudini ista relaxatione consulendum putaverunt, quam continentibus atque diuturnis litterarum contentionibus offendi exploratum est, caelo aestuante potissimum, quali affligimur exorta canicula. Et mihi multo verissimum videtur illud epigrammatographi: « Pueri, si aestate bene valent, satis discunt... ». Et iam istud vagandi et vacandi tempus propinquat. Qui tu traduces?
- P. — Num omnino usum librorum dimittam? Num me a nostris Musis proinde, ut si bellum ipsis indixisset, disingam?
- H. — Assentior; sic enim fieri decet, ne quae instituti sumus late omittamus. Quid vero tu leges?
- P. — Ea imprimis quae, praeter finem quem tu dixisti, liberalem et frugiferam delectationem pariant. Itaque si exercitationem styli haud intermittam, dictata recensebo, audita mecum pertractabo, Graecorum Romanorumque historias et excellentium carmina poetarum tum veterum tum novarum litterarum prosequar. Denique ita vacationum tempus transigere constitui, ut etiam otii mei rationem afferre possim.
- H. — Et ego haec in natali solo perficiam, quod me sui immemorem esse non sinit et post annum quartum quam discessi videre destinavi.
- P. — Recte quidem...
- H. — Addunt non mediocre calcar quas abhinc triduum accepi litteras: eae sunt paterna manu

et quamprimum me iter in patriam ingredi iubent.

- P. — Quando hue te reversurum augurare?
- H. — Brevi, si erit ut illi me brevi dimittant; mater imprimis, quae extra me stirpem virilem aut muliebrem patri meo nullam generavit. Ac nosti quanta sit matrum, in unicos praesertim, dilectio.
- P. — Multas persaepe opportunitates corruerunt istae matres, quae sic effictim amant liberos.
- H. — Tamen pater efficit ne ultimus omnium huc sim reversurus.
- P. — Valeas igitur, atque corporis et animi viribus tibi aetas proficiat.
- H. — Et tu valeas, eademque ex vacationibus bona accipias.

## ACTA PONTIFICIA

### SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

#### PII

#### DIVINA PROVIDENTIA

#### PAPAE X

#### CONSTITUTIO APOSTOLICA DE ROMANA CURIA



#### PIUS EPISCOPUS

#### SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sapienti consilio s. m. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhaerens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris, die xxii mensis Ianuarii an. M D LXXXVII, quis initium, *Immensa*, eiusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eos aliosque romanae Curiae magistratus ingenti curarum negotiorumque mole », quae solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio religionis ac pie-tatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetranda, aliisve de causis ad Summum Pontificem configurere.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, comportum ex Ecclesiae historia exploratumque omnibus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perststit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo diminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo uso aliquo sensim inducto ratioque habito, mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competentia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit, plures ex Sacris Congregationibus eadem de re ius dicere valeant, et nonnullae ad paucam tantum negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruantur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII, et apud Nos ipsos saepe institerunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte praestare curavimus datis Litteris die vii mensis Decembris anno MCMIII *Romanis Pontificibus*; aliiisque datis die xxviii mensis Ianuarii anno MCMIV, *Quae in Ecclesiae bonum*; itemque aliis datis die xxvi mensis Maii anno MCMVI, *Sacrae Congregationis super negotiis*.

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque operam suam praestare facilis valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur, post ferias autunnales decurrentis anni, hoc est a die iii mensis Novembris M D C C C C VIII, non alia sint, praeter consueta sacra Consistoria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competencyia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

#### I.

#### SACRAE CONGREGATIONES

#### 1.

#### CONGREGATIO SANCTI OFFICI.

1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praestet, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducent.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, ut abstinentiae, ieunia, festa servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis solidarium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta de disciplina *Sacramentorum*, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtæ religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

#### 2.

#### CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

1. Duas haec Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur:

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxia novas dioeceses et *capitula tum cathedralia tum collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores apostolicos, Adjutores et Auxiliares Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendas aut dividendas sint extra Italianam, ministri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* confident, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularium dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinet, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesiū; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conficitatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales a *secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accendentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censerit.

6. A *secretis* semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adssessoris* nomen, qui idem fungetur munere a *secretis* Sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administrator numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Adssessori* Sancti Officii, et a *secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinarii, durante munere: quibus accident alii, quos Summus Pontifex elegerit.

#### 3.

#### CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae hoc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut

Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolixi; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes resipientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumenda, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quæstiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, alias ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quæstiones iudicario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotæ tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quæ sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum secretario aliisque necessariis administris et consultoribus.

4.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO CONCILII.

1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quæ ad universam disciplinam Cleri saecularis populi christiani referuntur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae præcepta serventur, cuius generis sunt iejunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimæ, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quæ Parochos et Canonicos spectant; item quæ pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quæ ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quæ ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu conferentias referuntur, suppressa Congregatione speciali, quæ hactenus fuit pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quæ ratione disciplinæ, seu, ut vulgo dicitur, in linea disciplinari pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt referenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quæ *Lauretana* dicitur.

5.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO NEGOTIIS RELIGIOSORUM SODALIUM PRAEPOSITA.

1. Haec Sacra Congregatio indicium sibi vindicat de iis tantum, quæ ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnis, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universo pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quæ sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales

intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quæ ratione disciplinæ, seu, ut dici solet, in linea disciplinari aguntur, religioso sodali sive conuento sive actore; ceteras ad Sacram Romanam Rotam erunt referenda, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communis pro sodalibus religiosis.

6.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE.

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

2. Itaque a iurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus — in Europa — ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem; — in America — provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terræ Novæ et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quæ ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquæ ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Prefecturas seu missiones queslibet, eas quoque quæ Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinarii modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, voluntus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quæcumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquit.

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quæ hoc usque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomicâ esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverenda Camerae Spoliorum*, ipsis Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

7.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO INDICIS.

1. Huius sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit, prohibere, et exemptions concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quæ in vulgo edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciose scripta animadvertere, eaque Sanctæ Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum*, xxv Ian. MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persæpe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Con-

gregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quæ ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administrari secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO SACRORUM RITUUM.

1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quæ sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant non autem quæ latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus sive servato iudicario ordine sive ratione disciplinæ, hoc est, uti aiunt, in linea disciplinari disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim ad vigilar ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omniibus quæ Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quæ ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exequi debet, quæ ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adiunguntur Coetus *liturgicus*, Coetus *historico-liturgicus* et Coetus pro *Sacro Concertu*.

9.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO CAEREMONIALIS.

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integræ servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacram functionum, quæ Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quæstiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS.

In ea tantum negotio Sacra Congregatio incumbit, quæ eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quæ cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11.<sup>o</sup>

## CONGREGATIO STUDIORUM.

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeat maiora athenæa, seu quæ vocant Universitates, seu Facultates, quæ ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quæ a religione alicuius familie sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

II.  
TRIBUNALIA1.<sup>o</sup>  
SACRA POENITENTIARIA.

Huius sacri iudicij seu tribunalis jurisdictio coartatur ad ea dumtaxat quæ forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, exteri fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutations, sanationes, condonations; excutit praeterea quæstiones conscientiae, easque dirimit.

2.<sup>o</sup>  
SACRA ROMANA ROTA.

Quum Sacrae Romanae Rotæ tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevi variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quæ a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sanctificaverunt, non solum iubemus «per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnoscî causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudicarium cum processu et probationibus requirent». (Litt. Secretariae Status xvii Aprilis MDCXXVIII); sed praeterea decernimus ut causæ omnes contentiosæ non maiores, quæ in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotæ tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitum revocamus iuxta *Legem propriam*, quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure Sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3.<sup>o</sup>  
SIGNATURA APOSTOLICA.

Item supremum Signaturæ Apostolice tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata lege determinatur, antiqua ordinatione tribunalum *Signaturæ papalis gratiae et iustitiae* suppressa.

III.  
OFFICIA1.<sup>o</sup>  
CANCELLARIA APOSTOLICA.

1. Huic officio praesedit unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice Cancellarii nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis, ex officio, notari munere fungitur.

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbō* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesum et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiens.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per viam *Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublati

iis modis qui dicuntur per viam secretam, de Camera et de Curia.

4. Expedientur memoratae litterae seu bullae de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alias negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur Abbreviatores maioris vel minoris residentiae, seu de parco maiori vel minori; quae ipsius erant munis in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur participantes de numero.

2.<sup>o</sup>

## DATARIA APOSTOLICA

1. Huic officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedis reservata; confidere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias, aliasque seorsim dandas servabit.

3.<sup>o</sup>

## CAMERA APOSTOLICA.

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. Vacante Sede Apostolica, xxv Dec. MCCCCIV.

4.<sup>o</sup>

## SECRETARIA STATUS.

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a Secretis Status, hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praeposita examine subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinet honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificis domui Praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevis, quae a variis Congregationibus ei committuntur vacabit. — Prima praeerit Secretarius Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri Substitutus pro negotiis ordinariis; tertiae Cancellariae Brevis Apostolicorum. Inter harum partium praeides primus est Secretarius Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praeposita, alter Substitutus pro ordinariis negotiis.

5.<sup>o</sup>

## SECRETARIAE BREVUM AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM.

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis, initium anni du-

cetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die xxv mensis Martii, sed a Kalendis Ianuariis.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, pasthas Romanam Curiam constituent, servata eorum quae ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiiciuntur.

Congregatio quae dicitur Reverenda fabricae S. Petri, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. Quanta cura cum die xv mensis Novemboris MDOLI data.

Coetus studiis proprehendis sive Sacrae Scripturae, sive historiae; Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe praeservanda, permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione Visitationis Apostolicae Urbis, quae ipsius erant iura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalem coetum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferrimus.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis soleme sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorundem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontifica approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententias tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competencia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacua enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione « Vacante Sede Apostolica » statutis.

Decernentes praeentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtainere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quae sit non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, m Kal. Iulias, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. CARD. DI PIETRO  
Pro-Datarius

R. CARD. MERRY DEL VAL  
a Secretis Status  
VISA

De Curia I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

V. CUGNONIUS.

## DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Iunii - d. xx mens. Iulii M DCCCVIII)

## Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque muneri gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Collegii Urbani de Propaganda Fide alumni omnia et stipem suam Pontifici offerentes Sacerdotii annum quinquagesimum explenti; Sacrosanctae Lateranensis Ecclesiae Collegium grates agens ob refectum a Pontifice basileac eiusdem lacunar; Eminentissimus Purpuratus Pater Raphael Merry del Val a Secretis Status et Apostolicae domus Praefectus numismatis exemplaria aurea, argentea aenaeaque exhibens in memoriam anni v Pii PP. X Pontificatus eius; Hugo Gaißer O. S. B. Urbanii collegii Graecorum rector; coetus Germanicarum mulierum ad pauperes ecclesias supellecilibus ditandas hujusmodi dona offerens; Thomas Rodriguez, Prior gener. Ord. Eremitarum S. Augustini; Henricus Saint Olive, Praeses centralis consilii sodalitatis ad fidem propagandam cum consiliariis suis; Lecpuldus Mayer de Schauensee, Helvetica Pontificiae cohortis praefectus cum militum manu omnia donaque offerentes ob sacerdotiale Pontificis in bilaeum; Franciscus Boncompagni-Ludovisi, Princeps Urbanus eiusque uxor; Sebastianus Osterrieder, Bavarus sculptor; Supremi Militaris Ordinis Hierosolymitani Melitensis Magister maximus; Romani et Piani seminarii alumni; Liberianae basilicae Collegium; Hiacynthus M. Cormier, Magister generalis Ord. Praedicatorum; Ildebrandus de Hemptinne, Ord. S. Benedicti abbas primus; Emmanuel Sanchez, Praepositus generalis Congregationis Scholarum Piarum; Aemilius Ojeda y Perpinan, legatus extraordinarius et administer cum omni potestate Hispanorum apud Apostolicam Sedem; Maximilianus d'Erp dynasta eodem munere fungens pro Belgis; Montis Draconis Dux eiusque familia; Alexander Ruspoli, Princeps Urbanus, Sacri Hospiti Magister; Collegium XII virorum litibus adiudicandis; Collegium Minorum Conventualium eiusque moderatores; Vaticanae basilicae Collegium omnia et stipem suam offerens, cui Sanctissimus gratias agens aperit se cryptis Vaticanicis sepulturam suam ad B. Petri reliquias delegisse; Bohemorum Urbani collegii alumni; Amandus Bahalmann O. F. M. episcopus Argens. electus; Von Muhelberg dynasta, legatus extraordinarius et administer Borussorum apud Apostolicam Sedem; Nicolaus Szecsen de Temerin Comes, eodem munere fungens pro Austrorum imperio; Collegium Parochorum de Urbe; Pacificus a Segiano, Administer generalis O. M. S. Francisci Capulatorum; Ioannes De Montel, Romanae Rotae Auditorum decanus; Patrius Gulielmus Riordan, Urbani Iberniorum collegii rector, sacras suppellecilia multas offerens ex Ibernia ad Pontificem missas pauperibus ecclesiis distribuendas, ac pontificale tegmen a nobilium Ibernorum manu Pontifici dono oblatum; Philippus Orsini, Princeps Urbanus pontificio solo adstans; De Leininghen Comes; Hispanici Urbani collegii alumni pontifici exhibentes interpretationem epistolae encyclica Lamentabili duobus voluminibus conclusam et a theologiae iuris que canonici discipulis collegii eiusdem exarata; Albertus Blancas, legatus extraordinarius et administer Argentinæ reipublicæ apud Apostolicam Sedem; Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Urbani collegii alumni stipem suam offerentes et effigiem Pontificis a Müller-Ury doctore egregie pictam, quam Pater amantissimus in sui memoriam Collegio vicissim donat.

## Pontificiae electiones.

— Reverendissimus vir Petrus Angelini, antistes Urbanus e consilio XII virorum litibus adiudicandis, a secretis dicitur Brevium ad Principes.

— Victor Maria Corvaja O. S. B. episcopus Tripolitanus eligitur.

## Varia.

— Die vi mens. Iulii Constitutio Apostolica vulgariter de Romana Curia.

— d. xx in Xystino sacello adstante Pontifice iusta funebre Leoni PP. XIII persolvuntur, die anniversaria V recurrente ab eius obitu.

## PER ORBEM

Spatio deficiente, brevibus admodum notis concludere coacti sumus quae per orbem mense proximum de communibus eventibus, tum de civilibus rebus acciderunt.

Salvere igitur imprimis iubemus infantem illum alterum qui d. xxii mens. Iunii ex regali Hispanorum stirpe natus est, dum extreum affamur clarissimos viros vita functos, et Franciscum Iacobacci, Romanum pictorem, et Ionam Lie, Norvegum poetam, et Elisabeth, uxorem Ioannis Alberti Meklenburg, nunc Brunswikii Ducatus rectoris; ac pariter miseros illos, qui inter infortunia mortem obierunt. Neque hi pauci: siquidem huiusmodi damna late saevierunt. Incendia enim tum Villae-regalis, Lusitani oppidi, tum Portus Principis magnam partem deleverunt; in carbonis fodiinis Berolinensibus, quibus a Carolo Magno nomen, operarios plures suffocarunt; denique Benaduz ferriviae stationem inter Thouary et Coira redegerunt ad nihilum. Naufragium contra, at idem luctuosum, passa est Hispanica navis trans Atlanticum viatores vehens, quorum quindecim in alto submersi sunt.

At hominum vita crudeliter in Perside extincta est ipso Imperatoris iusu, qui ut constitutionem a Patre concessam retraheret, sub falsa prodictionis specie, armata manu missilibusque coetum legatorum legibus ferendis aggressus est, terrorisque Teheran in urbe quod dicitur gubernium instituit, neque, dum scribimus, meliores dies infelici illi populo aperuit.

Mauritanæ res ex adverso nihil novi pree se tulero, si D'Amade, Gallici ducis, expeditionem excepis ad Azemur urbem in quietem redigendam.

Hora denique postrema nunciatur Turcarum imperator universi populi sollicitationibus motus ad an. M DCCCLXXVI alicuius libertatis regimen iterum concedendum sese convertisse.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMA — Ex officina Pocis, Phil. Cuggiani.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80  
ubique extra Italianam Libell. 6,25  
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)  
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCXLVI peractam, *ad libitum* sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotatione sibi gratuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europeae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.

Ann. XI. ROMAE, Kal. Septembribus MDCCCCVIII Num. IX.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80  
ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.